
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


DE VSV MODORVM THEOCRITEO

SCRIPSIT

LARS WÅHLIN



GÖTEBORG
WALD. ZACHRISSONS BOKTRYCKERI
1897



Cum ante aliquot annos in syntaxi graeca alexandrinae potissimum aetatis exquirenda uersarer, Theocritum quoque peruolutaui: quae uero inde ad usum modorum collegi, non prorsus, opinor, inutilia aut quae edantur indigna uidebuntur. Quamquam satis scio me nihil nouum praebere: permulta sane quae huc pertinent e uariis libris excerpi possunt ac praecipue e lexico Rumpelii. Sed in hoc libro, ut par est in lexico, et multa frustra quaesiueris neque omnia quae cohaerent uno conspectu perlustrare licet, idemque multo etiam magis de annotationibus ualet, quibus uiri docti editiones consperserunt.

Iam uero in exemplis disponendis eundem tenui ordinem, quem in libello de modis Apollonii edito[1] *obseruaui: qua re consecutus sum, ut Theocritus et Apollonius facilius inter se compararentur, eademque opera ut breuitati magis consulere possem. Hic igitur neque uniuerse de ui modorum disputaui nec singulis loquendi formulis explicandis nisi obiter operam dedi. Qui cognoscere cupit, quibus rationibus nitatur operis descriptio, commentationem quam nominaui adeat.*

Exempla collegi non solum e genuinis Theocriti carminibus sed etiam ex iis quae uulgo spuria habentur, nam de nonnullis alii aliter iudicant ac praeterea haud alienum fortasse uidebitur carmina conferre posse. Epigrammata ceteraque carmina minora

[1] *De usu modorum apud Apollonium Rhodium. Lundae 1891.*

quae editionibus Theocriti annecti solent praetermisi. Notissimum est quam male uerba Theocriti nobis tradita sint, quamque difficile sit unoquoque loco statuere, quae sit genuina lectio. Rem ita institui, ut editionem Hilleri Lipsiae a. 1881 descriptam paucis locis exceptis sequerer, sed uarias lectiones magis memorabiles, quae ad usum modorum pertinent, notis additis afferrem. Qua in re fortasse non semper iustum modum inter nimium et parum seruaui nec sperare uideor me omnibus satisfecisse.

A. De usu modorum in sententiis liberis.

I. Coniunctiuus.

Coniunctiuus potentialis non adhibetur: omnia igitur exempla uoluntatem exprimunt.

a. In sententiis affirmatiuis.

Prima persona pluralis his locis inuenitur.

α) Sententia nulla particula instituitur:

V: 66. βωστρέωμες.
XV: 22. βᾶμες τῶ βασιλῆος ἐς ἀφνειῶ Πτολεμαίω.
XV: 42. ἕρπωμες.
XV: 59. . . . σπεύδωμες · ὄχλος πολὺς ἄμμιν ἐπιρρεῖ.
XV: 68. πᾶσαι ἅμ' εἰσένθωμες.
XVI: 4. . . . βροτοὺς βροτοὶ ἀείδωμεν.
XVII: 1. ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα.
XXII: 166. . . . σφῶν δ'ἄλλον ἐπιφραζώμεθα πάντες [γάμον].
XXII: 175. νῶι δ',ἐγὼ Κάστωρ τε, διακρινώμεθ' Ἄρηι.[1]

β) Verbum ἀλλά praefigitur:

XXV: 60. ἀλλ' ἴομεν μάλα πρός μιν.

γ) Sententia incipit a uerbis ἀλλ' ἄγε:

VII: 35. ἀλλ' ἄγε δή . . .
βουκολιασδώμεσθα.
VII: 49. ἀλλ' ἄγε βουκολικᾶς ταχέως ἀρχώμεθ' ἀοιδᾶς.

δ) Verbum δεῦρο praefigitur:

I: 21. δεῦρ' ὑπὸ τὰν πτελέαν ἑσδώμεθα.

---

[1] XV: 135 futurum a Kiesslingio restitutum est.

b. *In sententiis negatiuis.*

α) Prima persona pluralis:

VII: 122. μηκέτι τοι φρουρέωμες ἐπὶ προθύροισιν, Ἄρατε,
μηδὲ πόδας τρίβωμες.

XXII: 176. . . . γονεῦσι δὲ μὴ πολὺ πένθος
ἡμετέροισι λίπωμεν.

β) Secunda persona (aoristi).

αα) Coniunctiuus cum imperatiuo iungitur:

XVIII: 54. εὕδετ' ἐς ἀλλάλων στέρνον φιλότητα πνέοντες
καὶ πόθον, ἔγρεσθαι δὲ πρὸς ἀῶ μὴπιλάθησθε.

XXIII: 37. . . . μή με παρέλθῃς,
στᾶθι δὲ καὶ βραχὺ κλαῦσον.

XXIII: 47. . . . ὁδοιπόρε, μὴ παροδεύσῃς,
ἀλλὰ στὰς τόδε λέξον.

XXIV: 36. ἄνστα, μηδὲ πόδεσσιν ἑοῖς ὑπὸ σάνδαλα θείῃς.[1]

ββ) Sine imperatiuo:

V: 68. . . . τὺ δ' ὦ φίλε μήτ' ἐμὲ Μόρσων
ἐν χάριτι κρίνῃς, μήτ' ὦν τύγα τοῦτον ὀνάσῃς.

V: 70. ναὶ ποτὶ τᾶν Νυμφᾶν, Μόρσων φίλε, μήτε Κομάτᾳ
τὸ πλέον ἰθύνῃς, μήτ' ὦν τύγα τῷδε χαρίξῃ.

V: 108. ἀκρίδες . . .
μή μευ λωβάσησθε τὰς ἀμπέλος.

X: 55. μή τι τάμῃς τὰν χεῖρα καταπρίων τὸ κύμινον.

XV: 36. μὴ μνάσῃς, Γοργοῖ.

XV: 52. . . . ἄνερ φίλε, μή με πατήσῃς.

XV: 148. χὠνὴρ ὄξος ἅπαν, πεινᾶντι δὲ μηδὲ ποτένθῃς.

XX: 5. μή τύ γέ μευ κύσσῃς τὸ καλὸν στόμα μηδ' ἐν ὀνείροις.

XXI: 63. μὴ σύγε μὴ τρέσσῃς · οὐχ ὤμοσας.[2]

XXIII: 41. . . . μή με φοβαθῇς·
οὐ δύναμ' ἀντιφιλεῖν σε.

XXVII: 17. μὴπιβάλῃς τὴν χεῖρα.

De loco XV: 95 uide infra p. 42.

V: 68 et XXIII: 41 antecedunt imperatiui, qui laxius cum sententia coniunctiuo formata cohaerent.

---

[1] Libri θείῃς, Ziegler θῄῃς.

[2] Incerta lectio. Libri habent καί σύ γε τρέσσει uel similia omissa negatione.

c. *In sententiis interrogatiuis.*

Coniunctiui deliberatiui haec sunt exempla:

II: 64. νῦν δὴ μούνη ἐοῖσα πόθεν τὸν ἔρωτα δακρύσω; ἐκ τίνος ἄρξωμαι;

III: 24. ὤμοι ἐγώ, τί πάθω, τί ὁ δύσσοος; οὐχ ὑπακούεις;

XV: 51. ἁδίστα Γοργοῖ, τί γενώμεθα;[1]

His locis discerni non potest, utrum coniunctiuus an futurum adhibeatur:

XVII: 11. τί πρῶτον καταλέξω;

XXVII: 38. πατρὶ δὲ γηραλέῳ τίνα μάν, τίνα μῦθον ἐνίψω;

II. Optatiuus.

1. Optatiuus potentialis.

a. In sententiis iudicandi.

a) *Optatiuus futurum tempus significans.*

αα) Optatiuus nudus.

Vno loco adhibetur de re, quam quis dicit futuram esse:

XXVII: 60. φῄς μοι πάντα δόμεν· τάχα δ' ὕστερον οὐδ' ἅλα δοίης.[2]

His locis is, qui loquitur, dicit se aliquid facturum esse.

VIII: 20. ταύταν [σύριγγα] κατθείην· τὰ δὲ τῶ πατρὸς οὐ καταθησῶ.

XI: 50. αἰ δέ τοι αὐτὸς ἐγὼν δοκέω λασιώτερος ἦμεν, ἐντὶ δρυὸς ξύλα μοι καὶ ὑπὸ σποδῷ ἀκάματον πῦρ· καιόμενος δ' ὑπὸ τεῦς καὶ τὰν ψυχὰν ἀνεχοίμαν καὶ τὸν ἕν' ὀφθαλμόν.

XVII: 7. αὐτὰρ ἐγὼ Πτολεμαῖον ἐπιστάμενος καλὰ εἰπεῖν ὑμνήσαιμ'· ὕμνοι δὲ καὶ ἀθανάτων γέρας αὐτῶν.

XXII: 73. εἴτ' οὖν ὀρνίθεσσιν ἐοικότες εἴτε λέουσι φαινόμεθ', οὐκ ἄλλῳ γε μαχεσσαίμεσθ' ἐπ' ἀέθλῳ.[3]

De loco I: 60 uide infra sub ββ).

---

[1] E coniectura Schaeferi. Libri γενοίμεθα.

[2] Vide Meinekium ad h. l.

[3] Hiller e coniectura Hermanni edidit κε pro γε.

ββ) Optatiuus cum κέν coniunctus.

His locis aliquid fore dicitur:

I: 56. ... τέρας κέ τυ θυμὸν ἀτύξαι.

III: 38. ... ᾀσεῦμαι ποτὶ τὰν πίτυν ὧδ' ἀποκλινθείς.
καί κέ μ' ἴσως ποτίδοι, ἐπεὶ οὐκ ἀδαμαντίνα ἐστίν.

XII: 12. θείω δή τινε τώδε μετὰ προτέροισι γενέσθην
φῶθ', ὁ μὲν εἴσπνηλος, φαίη χ' ὡμυκλαΐάζων,
τὸν δ' ἕτερον πάλιν ὥς κεν ὁ Θεσσαλὸς εἴποι ἀίτην.[1]

XXIX: 21. αἰ γὰρ ὧδε πόης, ἀγαθὸς μὲν ἀκούσεαι
ἐξ ἀστῶν· ὁ δέ τοί κ' Ἔρος οὐ χαλεπῶς ἔχοι.

His exemplis qui loquitur dicit se aliquid facturum esse:

I: 60. ... τῷ κέν τυ μάλα πρόφρων ἀρεσαίμαν,
αἴκα μοι τύ, φίλος, τὸν ἐφίμερον ὕμνον ἀείσῃς.[2]

XVI: 106. ἄκλητος μὲν ἔγωγε μένοιμί κεν, ἐς δὲ καλεύντων
θαρσήσας Μοίσαισι σὺν ἁμετέραισιν ἱκοίμαν.

XXV: 37. ... ἐγὼ δέ κέ τοι σάφα εἰδώς
ἀτρεκέως εἴποιμ'.

XXV: 195. ἀμφὶ δέ σοι τὰ ἕκαστα λέγοιμί κε τοῦδε πελώρου.

De loco XXII: 73 uide supra sub αα).

β) *Optatiuus aliquid fieri posse exprimens.*

αα) Optatiuus nudus.

Optatiuus adhibetur ad rem quae praesenti tempore fieri potest exprimendam:

II: 33. ... τὺ δ' Ἄρτεμι καὶ τὸν ἀναιδῆ
κινήσαις ἀδάμαντα καὶ εἴ τί περ ἀσφαλὲς ἄλλο.[3]

His locis uis optatiui ita attenuata est, ut urbanitati tantum inseruiat:

VIII: 88. ὡς μὲν ὁ παῖς ἐχάρη καὶ ἀνάλατο καὶ πλατάγησε
νικάσας, οὑτῶς ἐπὶ ματέρι νεβρὸς ἅλοιτο.

VIII: 90. ὡς δὲ κατεσμύχθη καὶ ἀνετράπετο φρένα λύπᾳ
ὥτερος, οὕτω καὶ νύμφα γαμεθεῖσ' ἀκάχοιτο.

XVI: 66. αὐτὰρ ἐγὼ τιμήν τε καὶ ἀνθρώπων φιλότητα
πολλῶν ἡμιόνων τε καὶ ἵππων πρόσθεν ἑλοίμαν.

---

[1] De hoc loco uide infra B. III.

[2] Nonnulli libri καί pro κέν.

[3] Hiller e coniectura Vossii legit κινήσαις κ'ἀδάμαντα. Libri κ' omittunt, nonnulli ρ' inserunt.

ββ) Optatiuus cum κέν coniunctus.

De rebus quae praesenti tempore fieri possunt agitur his locis:

I: 42. φαίης κεν γυίων νιν ὅσον σθένος ἐλλοπιεύειν.

IV: 11. πείσαι κεν Μίλων καὶ τὼς λύκος αὐτίκα λυσσῆν.

XV: 25. ὧν ἴδες, ὧν εἴπαις κεν ἰδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδόντι.[1]

XV: 38. ... τοῦτό κεν εἴπαις.[2]

XVII: 40. ... ὧδέ κε παισί
θαρσήσας σφετέροισιν ἐπιτρέποι οἶκον ἅπαντα.

XXV: 197. ... τὸ γὰρ πολέων περ ἐόντων
Ἀργείων οὐδείς κεν ἔχοι σάφα μυθήσασθαι.

De loco II: 33 uide supra sub αα).

De tempore praeterito uno loco uidetur optatiuus adhiberi:

XXIV: 135. δεῖπνον δὲ κρέα τ' ὀπτὰ καὶ ἐν κανέῳ μέγας ἄρτος
Δωρικός· ἀσφαλέως κε φυτοσκάφον ἄνδρα κορέσσαι.[3]

His locis optatiuus ad rem modestius exprimendam adhibetur:

XV: 26. ἕρπειν ὥρα κ' εἴη.

XVII: 95. ὄλβῳ μὴν πάντας κε καταβρίθοι βασιλῆας.

XXV: 43. ναὶ γέρον, Αὐγείην ἐθέλοιμί κεν ἀρχὸν Ἐπειῶν
εἰσιδέειν.

Cfr etiam in sententia causali XXII: 162.

γγ) Optatiuus cum ἄν coniunctus.

Ad rem modestius efferendam adhibetur:

XXI: 32. εὖ γὰρ ἂν εἰκάξαις κατὰ τὸν νόον.[4]

γ) *Optatiuus correlatiuus.*

αα) Optatiuus nudus.

Notio hypothetica sententia condicionali uel optandi formula exprimitur:

XI: 73. αἴκ' ἐνθὼν ταλάρως τε πλέκοις καὶ θαλλὸν ἀμάσας
ταῖς ἄρνεσσι φέροις, τάχα καὶ πολὺ μᾶλλον ἔχοις νῶν.[5]

XXII: 60. ἔλθοις, καὶ ξενίων γε τυχὼν πάλιν οἴκαδ' ἱκάνοις.[6]

XXIX: 10. ἀλλ' εἴ μοί τι πίθοιο νέος προγενεστέρῳ,
τῷ καὶ λώιον αὐτὸς ἔχων ἔμ' ἐπαινέσαις.[7]

---

1 Incerta est lectio; libri fere εἶπας uel εἶπες καί.

2 E coniectura Meinekii. Libri κα εἶπες, καλὸν εἶπες uel alia praebent.

3 Rumpel, Lex. Theocrit. s. u. κέ, κορέσσαι male pro infinitiuo habet.

4 Incerta lectio. Libri οὐ γὰρ νικάξῃ.

5 Editores fere praeter Zieglerum τάχα κα.

6 Hiller e coniectura Ahrensii κε τυχών.

7 Hiller e coniectura Hermanni τῷ κεν.

Notio hypothetica aduerbiali locutioni inest:

XXVIII: 12. δὶς γὰρ ματέρες ἄρνων μαλακοὶς ἐν βοτάνᾳ πόκοις
πέξαιντ' αὐτοένει Θευγένιδός γ' ἔννεκ' ἐυσφύρω.

Notio hypothetica e toto contextu uerborum eruenda est:

XXIX: 37. νῦν μὲν κὴπὶ τὰ χρύσεα μᾶλ' ἔνεκεν σέθεν
βαίην καὶ φύλακον νεκύων πεδὰ Κέρβερον.

ββ) Optatiuus cum κέν coniunctus.

Protasis optatiuo formata addita est XIV: 50, XVIII: 21.

Notio hypothetica participio inest:

XVI: 17. . . . οὐδέ κεν ἰὸν ἀποτρίψας τινὶ δοίη.

XXV: 183. οὐ μὲν γάρ κε τοσόνδε κατ' Ἀπίδα κνώδαλον εὕροις
ἱμείρων ἰδέειν.

XXIX: 39. τόκα δ'οὐδὲ καλεῦντος ἐπ' αὐλεΐαις θύραις
προμόλοιμί κε παυσάμενος χαλέπω πόθω.

Hic quoque afferendum exemplum, quod in sententia relatiua exstat, ubi notio hypothetica e totius orationis forma elucet:

VII: 100. ἐσθλὸς ἀνήρ, μέγ' ἄριστος, ὃν οὐδέ κεν αὐτὸς ἀείδειν
Φοῖβος σὺν φόρμιγγι παρὰ τριπόδεσσι μεγαίροι.

De locis XI: 7, XXII: 60, XXIX: 10 uide supra sub αα).

b. In sententiis interrogatiuis.

α) *Optatiuus futurum tempus exprimens.*

αα) Optatiuus nudus adhibetur in interrogatione deliberatiua:

XXVII: 24. καὶ τί, φίλος, ῥέξαιμι;

(XV: 51 editores optatiuum in coniunctiuum mutarunt, uide supra.)

ββ) Optatiuus cum κέν coniunctus:

XVI: 20. τίς δέ κεν ἄλλόυ ἀκούσαι; ἅλις πάντεσσιν Ὅμηρος.

De hoc loco conferre licet, quae annotaui ad Apoll. Rhod. III. 401. p. 29.

β) *Optatiuus aliquid fieri posse significans.*

Optatiuus cum κέν coniunctus exstat in interrogationibus dubitatiuis:

XI: 49. τίς κα τῶνδε θάλασσαν ἔχειν καὶ κύμαθ' ἕλοιτο;

XVII: 116. . . . τί δὲ κάλλιον ἀνδρί κεν εἴη
ὀλβίῳ ἢ κλέος ἐσθλὸν ἐν ἀνθρώποισιν ἀρέσθαι;
XXI: 34. . . . τί γὰρ ποιεῖν ἂν ἔχοι τις
κείμενος ἐν φύλλοις ποτὶ κύματι μηδὲ καθεύδων, . . .

γ) *Optatiuus correlatiuus.*

Huc referendum mihi uidetur hoc exemplum, ubi optatiuo particula ἂν annectitur; sententia condicionalis auditur:

XXII: 62. δαιμόνι', οὐδ' ἂν τοῦδε πιεῖν ὕδατος σύγε δοίης;

Iam si omnia exempla optatiui potentialis nulla ratione notionis diuersitatis habita una colligimus, haec fere sunt:

a) In sententiis iudicandi:
Optatiui nudi: [I: 60?], II: 33, VIII: 20, VIII: 88, VIII: 90, XI: 50, XI: 73, XVI: 66, XVII: 7, [XVIII: 21?], XXII: 60, XXII: 73, XXVII: 60, XXVIII: 12. XXIX: 10, XXIX: 37 = 14 (16) exempla.
Optatiui cum κέν coniuncti: I: 42, I: 56, I: 60[?], III: 38, IV: 11, VII: 100, XII: 12 (bis), XIV: 50, VV: 25 (incerta lectio), XV: 26, XV: 38 (incerta lectio), XVI: 17, XVI: 106, XVII: 40, XVII: 95, XVIII: 21[?], XXIV: 135, XXV: 37, XXV: 43, XXV: 183, XXV: 195, XXV: 197, XXIX: 21, XXIX: 39 = 25(21) exempla.
Optatiuus cum ἂν iunctus XXI: 32 (incerta lectio).

b) In sententiis interrogatiuis:
Optatiuus nudus XXVII: 24; (XV: 51 editores coniunctiuum legunt).
Optatiui cum κέν coniuncti: XI: 49, XVI: 20, XVII: 116, XXI: 34.
Optatiuus cum ἂν coniunctus XXII: 62.
Inter nudos optatiuos omnes numeraui locos, qui in ueteribus libris particula potentiali destituti esse uidentur, etsi editores hic illic κέν addiderunt (II: 33, XI: 73, XXII: 60, XXII: 73, XXIX: 10). Neque enim constanter egisse mihi uidentur, sed quoque loco pro arbitrio suo uerba intacta reliquisse aut mutasse. Nec mihi probari potest lex, quam statuere uoluit Hiller ad VIII: 20 — putat optatiuum nudum in carminibus mere bucolicis locum non habere — nam sic quaeuis fere rarior loquendi formula corrigendo exstingui potest. (Cfr uerba Hilleri ad II: 3.)

2. **Optatiuus uotum exprimens.**

a. *Optatiuus uotum genuinum exprimens.*

α) *In sententiis affirmatiuis.*

Primae personae haec sunt exempla:

II: 50. (sequitur tertia persona)
ὥς καὶ Δέλφιν ἴδοιμι, καὶ ἐς τόδε δῶμα περάσαι.

V: 14. οὐ μὰν οὐ τὸν Πᾶνα τὸν ἄκτιον, οὔ τέ γε Λάκων
τὰν βαίταν ἀπέδυσ' ὁ Καλαιθίδος· ἢ κατὰ τήνας
τᾶς πέτρας, ᾡνθρωπε, μανεὶς εἰς Κρᾶθιν ἁλοίμαν.

V: 20. αἴ τοι πιστεύσαιμι, τὰ Δάφνιδος ἄλγε' ἀροίμαν.

V: 149. . . . ἀλλὰ γενοίμαν,
αἰ μή τυ φλάσσαιμι, Μελάνθιος ἀντὶ Κομάτα.

VII: 155. (sequitur tertia persona)
. . . ἇς [sc. Δάματρος] ἐπὶ σωρῷ
αὖτις ἐγὼ πάξαιμι μέγα πτύον· ἁ δὲ γελάσσαι
δράγματα καὶ μάκωνας ἐν ἀμφοτέραισιν ἔχοισα.

XVI: 109. . . . ἀεὶ Χαρίτεσσιν ἅμ' εἴην.

XXVI: 30. αὐτὸς δ'εὐαγέοιμι καὶ εὐαγέεσσιν ἅδοιμι.

Secundae personae:

I: 132. (sequuntur optatiui tertiae personae)
νῦν δ'ἴα μὲν φορέοιτε βάτοι, φορέοιτε δ'ἄκανθαι,
ἁ δὲ καλὰ νάρκισσος ἐπ' ἀρκεύθοισι κομάσαι,
πάντα δ'ἔναλλα γένοιτο, καὶ ἁ πίτυς ὄχνας ἐνείκαι,
Δάφνις ἐπεὶ θνάσκει, καὶ τὼς κύνας ὤλαφος ἕλκοι,
κἠξ ὀρέων τοὶ σκῶπες ἀηδόσι δηρίσαιντο.[1]

I: 147. uide infra.

V: 124. (antecedit imperatiuus, sequitur optatiuus tertiae personae)
Ἱμέρα ἀνθ' ὕδατος ῥείτω γάλα, καὶ τὺ δὲ Κρᾶθι
οἴνῳ πορφύροις, τὰ δέ τοι σία καρπὸν ἐνείκαι.

VII: 109. εἰ δ'ἄλλως νεύσαις, κατὰ μὲν χρόα πάντ' ὀνύχεσσι
δακνόμενος κνάσαιο καὶ ἐν κνίδαισι καθεύδοις,
εἴης δ''Ηδωνῶν μὲν ἐν ὤρεσι χείματι μέσσῳ
. . .
ἐν δὲ θέρει πυμάτοισι παρ'Αἰθιόπεσσι νομεύοις.

---

[1] Ita Hiller cum Scaligero; uulgo γαρύσαιντο.

VIII: 33. (sequitur tertia persona in sententia negatiua)
ἄγκεα καὶ ποταμοί, θεῖον γένος, αἴ τι Μενάλκας
πήποχ' ὁ συριγκτὰς προσφιλὲς ᾆσε μέλος,
βόσκοιτ' ἐκ ψυχᾶς τὰς ἀμνάδας· ἢν δέ ποκ' ἔνθῃ
Δάφνις ἔχων δαμάλας, μηδὲν ἔλασσον ἔχοι.

XII: 27. Νισαῖοι Μεγαρῆες ἀριστεύοντες ἐρετμοῖς,
ὄλβιοι οἰκείοιτε.

XV: 74. κεὶς ὥρας κἤπειτα, φίλ' ἀνδρῶν, ἐν καλῷ εἴης.

XVII: 66. ὄλβιε κοῦρε γένοιο.
(sequuntur optatiui qui precem exprimunt.)

XVIII: 49. χαίροις ὦ νύμφα, χαίροις εὐπένθερε γαμβρέ.

XXII: 60. ἔλθοις, καὶ ξενίων γε τυχὼν πάλιν οἴκαδ' ἱκάνοις.

XXIV: 9. (antecedunt imperatiui)
ὄλβιοι εὐνάζοισθε καὶ ὄλβιοι ἀῶ ἴδοιτε.

XXVII: 20. φεύγω ναὶ τὸν Πᾶνα · σὺ δὲ ζυγὸν αἰὲν ἀείραις.[1]

Tertiae personae haec exempla sunt:

I: 133. uide supra p. 8.

I: 146. (sequitur secunda persona)
πλῆρές τοι μέλιτος τὸ καλὸν στόμα, Θύρσι, γένοιτο,
πλῆρές τοι σχαδόνων, καὶ ἀπ' Αἰγίλω ἰσχάδα τρώγοις
ἀδεῖαν.

II: 26. οὕτω τοι καὶ Δέλφις ἐνὶ φλογὶ σάρκ' ἀμαθύνοι.

II: 29. ὣς τάκοιθ' ὑπ' ἔρωτος ὁ Μύνδιος αὐτίκα Δέλφις.

II: 30. χὼς δινεῖθ' ὅδε ῥόμβος ὁ χάλκεος ἐξ'Αφροδίτας,
ὣς τῆνος δινοῖτο ποθ' ἁμετέραισι θύραισιν.

II: 44. εἴτε γυνὰ τήνῳ παρακέκλιται εἴτε καὶ ἀνήρ,
τόσσον ἔχοι λάθας, ὅσσον ποκὰ Θησέα φαντί
ἐν Δίᾳ λασθῆμεν ἐυπλοκάμω 'Αριάδνας.

II: 50. uide supra p. 8.

III: 54. ὡς μέλι τοι γλυκὺ τοῦτο κατὰ βρόχθοιο γένοιτο.

IV: 52. . . . κακῶς ἁ πόρτις ὄλοιτο.

V: 17. (in sententia relatiua)
. . . Νύμφας,
αἵτε μοι ἵλαοί τε καὶ εὐμενέες τελέθοιεν.

V: 125. uide supra p. 8.

V: 126. (antecedit imperatiuus)

---

[1] E coniectura Ahrensii; uulgata lectio ἀείρεις.

ῥείτω χἀ Συβαρῖτις ἐμὶν μέλι, καὶ τὸ πότορθρον
ἁ παῖς ἀνθ' ὕδατος τᾷ κάλπιδι κηρία βάψαι.
VI: 23. . . . αὐτὰρ ὁ μάντις ὁ Τήλεμος ἔχθρ' ἀγορεύων
ἐχθρὰ φέροιτο ποτ' οἶκον, ὅπως τεκέεσσι φυλάσσοι.
VII: 61. 'Αγεάνακτι πλόον διζημένῳ ἐς Μυτιλάναν
ὥρια πάντα γένοιτο, καὶ εὔπλοον ὅρμον ἵκοιτο.
VII: 123. . . . ὁ δ'ὄρθριος ἄλλον ἀλέκτωρ
κοκκύσδων νάρκαισιν ἀνιαραῖσι διδοίη,
εἷς δ'ἀπὸ τᾶσδε, φέριστε, Μόλων ἄγχοιτο παλαίστρας.
ἄμμιν δ'ἁσυχία τε μέλοι γραία τε παρείη,
ἅτις ἐπιφθύζοισα τὰ μὴ καλὰ νόσφιν ἐρύκοι.
VII: 156. uide supra p. 8.
VIII: 39. . . . κῆν τι Μενάλκας
τεῖδ' ἀγάγῃ, χαίρων ἄφθονα πάντα νέμοι.
IX: 4. χοἱ μὲν ἁμᾷ βόσκοιντο καὶ ἐν φύλλοισι πλανῷντο.
IX: 5. . . . ἐμὶν δὲ τὺ βουκολίαζευ
ἔκποθεν, ἄλλοθε δ'αὖτις ὑποκρίνοιτο Μενάλκας.
IX: 33. τᾶς [sc. ᾠδᾶς] μοι πᾶς εἴη πλεῖος δόμος.
X: 42. Δάματερ πολύκαρπε πολύσταχυ, τοῦτο τὸ λᾷον
εὔεργόν τ' εἴη καὶ κάρπιμον ὅττι μάλιστα.
XVI: 19. αὐτῷ μοί τι γένοιτο· θεοὶ τιμῶσιν ἀοιδούς.
XVI: 64. (antecedit imperatiuus)
χαιρέτω ὅς τοιοῦτος· ἀνήριθμος δέ οἱ εἴη
ἄργυρος, αἰεὶ δὲ πλεόνων ἔχοι ἵμερος αὐτόν.
XVI: 88. (antecedit sententia particulis αἲ γάρ instituta)
ἄστεά τε προτέροισι πάλιν ναίοιτο πολίταις,
· · · ἀγροὺς δ'ἐργάζοιντο τεθαλότας· αἱ δ'ἀνάριθμοι
μήλων χιλιάδες βοτάνᾳ διαπιανθεῖσαι
ἂμ πεδίον βληχοῖντο, βόες δ'ἀγεληδὸν ἐς αὖλιν
ἐρχόμεναι σκνιφαῖον ἐπισπεύδοιεν ὁδίταν.
νειοὶ δ' ἐκπονέοιντο ποτι σπόρον . . .
. . . ἀράχνια δ'εἰς ὅπλ' ἀράχναι
λεπτὰ διαστήσαιντο, βοᾶς δ'ἔτι μηδ' ὄνομ' εἴη.
ὑψηλὸν δ' Ἱέρωνι κλέος φορέοιεν ἀοιδοί.
XVI: 102. . . . τοῖς πᾶσι μέλοι Σικελὴν 'Αρέθουσαν
ὑμνεῖν σὺν λαοῖσι καὶ αἰχμητὰν Ἱέρωνα.
XVIII: 50. Λατὼ μὲν δοίη, Λατὼ κουροτρόφος, ὔμμιν
εὐτεκνίαν.

XX: 45. uide infra.
XXVI: 33. χαίροι μὲν Διόνυσος . . .
. . . χαίροι δ' εὐειδὴς Σεμέλα καὶ ἀδελφεαὶ αὐτᾶς.
XXVII: 15. χαιρέτω ἁ Παφία · μόνον ἵλαος Ἄρτεμις εἴη.

V: 14, V: 20, V: 149, XVI: 64, XXII: 60 uis optatiui concessiua est; [1]

XXII: 60 et XXVII: 15 optatiuus uicibus sententiae condicionalis fungitur.

β) *In sententiis negatiuis.*

Primae personae exemplum:

XXVI: 27. οὐκ ἀλέγω · μηδ' ἄλλου ἀπεχθομένου Διονύσῳ
φροντίζοιμ'. [2]

Secundae personae:

V: 43. μὴ βάθιον τήνω πυγίσματος, ὑβέ, ταφείης.

Tertiae personae exempla:

VII: 106. κεὶ μὲν ταῦτ' ἔρδοις, ὦ Πὰν φίλε, μή τί τυ παῖδες
Ἀρκαδικοὶ σκίλλαισιν ὑπὸ πλευράς τε καὶ ὤμους
τανίκα μαστίσδοιεν, ὅτε κρέα τυτθὰ παρείη.
VIII: 36. uide supra p. 9.
VIII: 53. μή μοι γᾶν Πέλοπος, μή μοι Κροίσεια τάλαντα
εἴη ἔχειν, μηδὲ πρόσθε θέειν ἀνέμων.
X: 11. μηδέ γε συμβαίη.
XV: 94. μὴ φύη, Μελιτῶδες, ὃς ἁμῶν καρτερὸς εἴη,
πλὰν ἑνός.
XVI: 97. uide supra p. 10.
XX: 44. μηκέτι μηδ', ὦ Κύπρι, τὸν ἀδέα μήτε κατ' ἄστυ
μήτ' ἐν ὄρει φιλέοι, μούνη δ' ἀνὰ νύκτα καθεύδοι.
XXVI: 38. . . . μηδεὶς τὰ θεῶν ὀνόσαιτο.

b. *Optatiuus precem exprimens.*

Omnia exempla in sententiis affirmatiuis comparent.

VII: 103. τόν μοι Πάν . . .
ἄκλητον κείνοιο φίλας ἐς χεῖρας ἐρείσαις.
XI: 63. ἐξένθοις, Γαλάτεια, καὶ ἐξενθοῖσα λάθοιο
ὥσπερ ἐγὼ νῦν ὧδε καθήμενος οἴκαδ' ἀπενθεῖν·
ποιμαίνειν δ' ἐθέλοις σὺν ἐμὶν ἅμα καὶ γάλ' ἀμέλγειν . . .

---

[1] Versum XXVI: 29 non attuli, cum sine dubio spurius sit.

[2] Ita Hiller edidit. Libri fere μηδ' ἄλλος ἀπεχθόμεναι φροντίζοι μηδ' εἰ.

XV: 143. (antecedit imperatiuus).
ἵλαθι νῦν φίλ' Ἄδωνι, καὶ ἐς νέωτ' εὐθυμήσαις.
XVII: 66. ὄλβιε κοῦρε γένοιο · τίοις δέ με τόσσον, ὅσον περ
Δᾶλον ἐτίμασεν κυανάμπυκα Φοῖβος Ἀπόλλων·
ἐν δὲ μιᾷ τιμᾷ Τρίοπον καταθεῖο κολώναν.
XVIII: 58. Ὑμὴν ὦ Ὑμέναιε, γάμῳ ἐπὶ τῷδε χαρείης.
XXII: 214. χαίρετε, Λήδας τέκνα, καὶ ἡμετέροις κλέος ὕμνοις
ἐσθλὸν ἀεὶ πέμποιτε.[1]

Liberae sententiae particula εἰ uel εἴθε institutae.

εἰ γάρ:

XII: 17. εἰ γὰρ τοῦτο, πάτερ Κρονίδη, πέλοι, εἰ γάρ, ἀγήρῳ
ἀθάνατοι, γενεῆς δὲ διηκοσίῃσιν ἔπειτα
ἀγγείλειεν ἐμοί τις ἀνέξοδον εἰς Ἀχέροντα . . .
XVI: 82. αἲ γὰρ Ζεῦ κύδιστε πάτερ καὶ πότνι' Ἀθάνα
κούρη θ' . . .
ἐχθροὺς ἐκ νάσοιο κακὰ πέμψειεν ἀνάγκα.
(sequuntur optatiui).

εἴθε:

III: 12. . . . αἴθε γενοίμαν
ἁ βομβεῦσα μέλισσα καὶ ἐς τεὸν ἄντρον ἱκοίμαν.
IV: 20. . . . εἴθε λάχοιεν [τοιόνδε ταῦρον]
τοὶ τῶ Λαμπριάδα, τοὶ δαμόται, ὄκκα θύωντι
V: 62. . . . αἴθ' ἔνθοι ποθ' ὁ βουκόλος ὧδ' ὁ Λυκώπας.
XII: 10. εἴθ' ὁμαλοὶ πνεύσειαν ἐπ' ἀμφοτέροισιν Ἔρωτες
νῶιν, ἐπεσσομένοις δὲ γενοίμεθα πᾶσιν ἀοιδή.

III: 12. de re, quae fieri non potest, agitur, sed cum futura sit, optatiuo proprie exprimitur.[2]

XI: 73. αἴκ' pro αἴθ' legendum esse uidetur, atque ita edidit Hiller.

His exemplis fortasse adjungendum est XXIX: 10, ubi sententia particulis ἀλλ' εἰ instituta uicibus protasis hypotheticae fungitur, sed tamen liberius cum apodosi cohaeret:

ἀλλ' εἴ μοί τι πίθοιο νέος προγενεστέρῳ,
τῷ καὶ λώιον αὐτὸς ἔχων ἔμ' ἐπαινέσαις·

---

[1] V: 121 plerique infinitiuum legunt.

[2] Cfr *Cavallin*, Grekisk syntax § 165 Anm. 3.

III. Indicatiuus.

1. Tempora praeterita.

a. *In sententiis iudicandi et interrogationibus.*

α) ἐχρῆν uno loco exstat:
XVIII: 12. εὕδειν μὰν χρῄζοντα καθ' ὥραν αὐτὸν ἐχρῆν τυ.
Cetera exempla, ubi particula κέν uel ἄν omissa uidetur, haec sunt, quae omnia ad praeteritum tempus referenda sunt.
Aoristus:
II: 127. εἰ δ' ἄλλᾳ μ' ὠθεῖτε καὶ ἁ θύρα εἴχετο μοχλῷ,
πάντως καὶ πελέκεις καὶ λαμπάδες ἦνθον ἐφ' ὑμέας.
IV: 49. εἴθ' ἧς μοι ῥοικὸν τὸ λαγωβόλον · ὥς τυ πάταξα.
XVI: 51 (sequitur aoristus cum ἄν coniunctus)
οὐδ' Ὀδυσεὺς
· · · δηναιὸν κλέος ἔσχεν, ἐσιγάθη δ' ἂν ὑφορβός
· · · εἰ μή σφεας φώνησαν Ἰάονος ἀνδρὸς ἀοιδαί.
Imperfectum:
II: 124. καί μ' εἰ μέν κ' ἐδέχεσθε, τάδ' ἧς φίλα.
II: 126. εὗδόν τ', εἴ κε μόνον τὸ καλὸν στόμα τεῦς ἐφίλησα.
XVI: 42. ἄμναστοι δὲ τὰ πολλὰ καὶ ὄλβια τῆνα λιπόντες
δειλοῖς ἐν νεκύεσσι μακροὺς αἰῶνας ἔκειντο,
εἰ μὴ δεινὸς ἀοιδὸς ὁ Κήιος αἰόλα φωνέων
βάρβιτον ἐς πολύχορδον ἐν ἀνδράσι θῆκ' ὀνομαστούς.

β) ὤφελον duobus locis exstat, ubi ad uotum efferendum adhibetur.
Altero loco de tempore praesenti dicitur praemissa particura αἴθε:
VII: 86. αἴθ' ἐπ' ἐμεῦ ζωοῖς ἐναρίθμιος ὤφελες εἶμεν.
Altero loco de tempore praeterito adhibetur.
XIV: 57. ὤφελε μὰν χωρεῖν κατὰ νῶν τεὸν ὧν ἐπεθύμεις.

γ) Tempora praeterita cum κέν uel ἄν coniuncta his locis potentialem uim habere uidentur.
αα) Indicatiuus cum κέν coniunctus.
Aoristi haec sunt exempla:
VII: 13. . . . ἧς δ' αἰπόλος, οὐδέ κέ τίς νιν
ἠγνοίησεν ἰδών, ἐπεὶ αἰπόλῳ ἔξοχ' ἐῴκει.
XIV: 23. κῆφᾶπτ'. εὐμαρέως κεν ἀπ' αὐτᾶς καὶ λύχνον ἅψας.

Imperfecti haec sunt exempla:

XXV: 115. . . . οὐ γάρ κεν ἔφασκέ τις οὐδὲ ἐώλπει
ἀνδρὸς ληΐδ' ἑνὸς τόσσην ἔμεν οὐδὲ δέκ' ἄλλων.

XXVIII: 15. οὐ γὰρ εἰς ἀκίρας οὐδ' ἐς ἀέργω κεν ἐβολλόμαν
ὀπάσαι σε δόμοις.

ββ) Indicatiuus cum ἄν coniunctus.

Aoristus duobus locis adhibetur in sententia relatiua:

IX: 24. [κορύναν] . . . τὰν οὐδ' ἂν ἴσως μωμάσατο τέκτων.

XXIV: 114. Ἁρπαλύκῳ Φανοτῆι, τὸν οὐδ' ἂν τηλόθε λεύσσων
θαρσαλέως τις ἔμεινεν ἀεθλεύοντ' ἔν ἀγῶνι.

δ) Tempora praeterita cum κέν uel ἄν coniuncta condicionalem uim habent his locis.

αα) Indicatiuus cum κέν coniunctus.

Aoristi haec sunt exempla, quae tempus praeteritum exprimunt. Protasis auditur uel participio exprimitur:

II: 118. ἦνθον γάρ κεν ἐγώ, ναὶ τόν γλυκὺν ἦνθον Ἔρωτα.

XXII: 122. καί κε τυχὼν ἔβλαψεν Ἀμυκλαίων βασιλῆα.

Imperfectum uno loco inuenitur de tempore praesenti; antecedit uotum, quod protasis instar est:

X: 32. αἴθε μοι ἦς, ὅσσα Κροῖσόν ποκα φαντὶ πεπᾶσθαι
χρύσεοι ἀμφότεροί κ' ἀνεκείμεθα τᾷ Ἀφροδίτᾳ.

ββ) Indicatiuus cum ἄν coniunctus.

Omnia exempla aoristi sunt.

Sententia condicionalis addita est XVI: 48 sq. XVI: 51 sq. (ubi antecedit aoristus nudus), XXV: 80 sq.

Protasis auditur:

XI: 58. (in sententia particula ὥστε instituta)
ἀλλὰ τὰ μὲν θέρεος, τὰ δὲ γίνεται ἐν χειμῶνι,
ὥστ' οὐκ ἄν τοι ταῦτα φέρειν ἅμα πάντ' ἐδυνάθην.

b. In sententiis quae uotum exprimunt.

De formula ὤφελον uide supra.

Indicatiuus praemissa particula εἴθε his locis inuenitur:

IV: 49. εἴθ' ἦς μοι ῥοικὸν τὸ λαγωβόλον· ὥς τυ πάταξα.

X: 32. αἴθε μοι ἦς, ὅσσα Κροῖσόν ποκα φαντὶ πεπᾶσθαι
χρύσεοι ἀμφότεροί κ' ἀνεκείμεθα τᾷ Ἀφροδίτᾳ.

XXVII: 61. αἴθ' αὐτὰν δυνάμαν καὶ τὰν ψυχὰν ἐπιβάλλειν.

2. **Futurum.**

In carminibus Theocriteis futurum cum κέν uel ἄν non iungitur.

In interrogationibus deliberatiuis (cfr p. 3) futurum adhibetur V: 61, VIII: 13, VIII: 25, XXII: 25.

Pro imperatiuo futurum usurpatur his locis:

V: 103. τουτεῖ βοσκησεῖσθε ποτ' ἀντολάς, ὡς ὁ Φάλαρος.
XXII: 64. ἄργυρος ἤ τίς ὁ μισθός, ἐρεῖς, ᾧ κέν σε πίθοιμεν;

(V: 109 μή μευ λωβάσησθε pro λωβασεῖσθε legendum est.)

Obseruandi sunt loci, ubi futurum comparet in interrogatione negatiua, quae cohortationi inseruit:

XIV: 22. οὐ φθεγξῇ;
XV: 53. . . . κυνοθαρσής
Εὐνόα, οὐ φευξῇ;

Notandus quoque est locus I : 151, ubi οὐ μή cum futuro iungitur, ut notio prohibitiua exprimatur:[1]

. . . αἱ δὲ χίμαιραι
οὐ μὴ σκιρτασεῖτε, μὴ ὁ τράγος ὔμμιν ἀναστῇ.

Hic denique afferre licet locum I: 112, ubi ὅπως cum futuro adhibetur ad iussum efferendum;[2] coniungitur cum imperatiuo:

αὖτις ὅπως στασῇ Διομήδεος ἆσσον ἰοῖσα,
καὶ λέγε.

IV. **Imperatiuus.**

De usu imperatiui haec fere animaduertenda uidentur.

His locis cum imperatiuo iungitur particula uel formula cohortatiua:

ἀλλά:

I: 113. . . . τὸν βούταν νικῶ Δάφνιν, ἀλλὰ μάχευ μοι.
II: 10 . . . ἀλλὰ Σελάνα
φαῖνε καλόν.

---

[1] Haec locutio uidetur forma negatiua esse formulae illius, quae particula μή cum coniunctiuo formatur: cum autem notio temporis futuri inuoluatur, consentaneum est et futurum pro coniunctiuo irrepsisse et locutionem imperatiui uicibus fungi posse. Cfr *Goodwin*, Syntax of the moods and tenses of the greek verb (London 1889), p. 389 sqq. Alii putant has sententias re uera interrogationes esse.

[2] Hic usus sine dubio ellipsi originem debet.

II: 18. . . . ἀλλ' ἐπίπασσε
Θεστυλί.
II: 96. . . . ἀλλὰ μολοῖσα
τήρησον ποτὶ τὰν Τιμαγήτοιο παλαίστραν.
II: 163. ἀλλὰ τὺ μὲν χαίροισα ποτ' ὠκεανὸν τρέπε πώλους.
V: 24. . . . ἀλλά γε καὶ τὺ τὸν εὔβοτον ἀμνὸν ὅρισδε.[1]
V: 44. ἀλλὰ γὰρ ἕρφ' ὧδ', ἕρπε, καὶ ὕστατα βουκολιαξῇ.
VII: 95. . . . ἀλλ' ὑπάκουσον, ἐπεὶ φίλος ἔπλεο Μοίσαις.
XI: 42. ἀλλ' ἀφίκευ τὺ ποθ' ἀμέ, καὶ ἑξεῖς οὐδὲν ἔλασσον.
XXII: 165. ἀλλά, φίλοι, τοῦτον μὲν ἐάσατε πρὸς τέλος ἐλθεῖν
ἄμμι γάμον.
XXII: 169. . . . ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν
πείθεσθ'.
XXIII: 35. ἀλλὰ τὺ παῖ κἂν τοῦτο πανύστατον ἁδύ τι ῥέξον.
XXIV: 86. ἀλλά, γύναι, πῦρ μέν τοι ὑπὸ σποδῷ εὔτυκον ἔστω,
κάγκανα δ'ἀσπαλάθου ξύλ' ἑτοιμάσατ' ἢ παλιούρου . . .
XXV: 34. ἀλλὰ σύ πέρ μοι ἔνισπε . . .[2]

ἄγε imperatiuum antecedit:
XV: 76. ἄγ' ὦ δειλὰ τύ, βιάζευ.

ἄγε imperatiuum sequitur:
IV: 58. εἴπ' ἄγε μ' ὦ Κορύδων . . .
XXV: 177. εἴπ' ἄγε νῦν μοι πρῶτον . . .

ἀλλ' ἄγε a multis editoribus legitur V: 24, de quo loco uide supra.

εἶα:
V: 78. εἶα λέγ' εἴ τι λέγεις, καὶ τὸν ξένον ἐς πόλιν αὖτις
ζῶντ' ἄφες.

εἶ' ἄγε:
II: 95. εἶ' ἄγε Θεστυλί μοι χαλεπᾶς νόσω εὑρέ τι μᾶχος.[3]

ἴθι:
V: 66. . . . ἴθ' ὦ ξένε μικκὸν ἄκουσον
τεῖδ' ἐνθών.[4]

---

[1] Plerique editores ἀλλ' ἄγε.

[2] Aduersatiuam, non cohortatiuam notionem ἀλλά habet XXIII: 47:
. . . ὁδοιπόρε, μὴ παροδεύσῃς,
ἀλλὰ στὰς τόδε λέξον . . .

[3] Libri uariant; nonnulli habent εἶ δ'ἄγε.

[4] Genuinam uim retinet ἴθι VIII: 51: ἴθ' ὦ κόλε καὶ λέγε.

ἴτε:

I: 127 = 131 = 137 = 142.

λήγετε βουκολικᾶς Μοῖσαι ἴτε λήγετ' ἀοιδᾶς.

ἀλλ' ἴθι:

XV: 21. ἀλλ' ἴθι τὠμπέχονον καὶ τὰν περονατρίδα λάζευ.

σίττα:

VIII: 69. σίττα νέμεσθε νέμεσθε.[1]

δεῦρο:

XXVII: 45. δεῦρ', ἴδε πῶς ἀνθεῦσιν ἐμαὶ ῥαδιναὶ κυπάρισσοι.[2]

In imperatiuis negandis carmina Theocritea communem usum sequuntur, ut non negatio addatur nisi imperatiuis praesentis.

Duobus locis ἄν cum imperatiuo consociari uidetur:

XXIII: 35. ἀλλὰ τὺ παῖ κἂν τοῦτο πανύστατον ἁδύ τι ῥέξον.

XXIII: 41. κἂν νεκρῷ χάρισαι τὰ σὰ χείλεα.

Sed priore loco potius legendum est καὶ pro κἂν[3], ac ne altero quidem ἄν cum ipso imperatiuo iungendum est. Nam quod nonnulli, quibus assentitur Rumpelius, statuunt imperatiuum cum ἄν particula re uera coniungi posse, eamque locutionem idem fere significare atque optatiuum particula ἄν praeditum, et per se prorsus incredibile est particulam, quae alias semper potentialibus locutionibus additur, appetendi uero formulas aspernatur, cum imperatiuo consociari neque, ut mihi uidetur, exemplis comprobari potest. Immo uero ἄν hoc loco coniunctio est, ut κἂν νεκρῷ omisso uerbo dicatur pro κἂν νεκρῷ ᾖ. Atque ceteri loci, ubi ἄν imperatiuo addi uidetur, aut ita fere explicandi aut corrigendi sunt.[4]

---

[1] σίττα sine uerbo inuenitur IV: 45, 46, V: 3, 100.

[2] δεῦρο sine uerbo pro imperatiuo adhibetur:

XXVII: 10. δεῦρ' ὑπὸ τὰς κοτίνους, ἵνα σοί τινα μῦθον ἐνίψω.

XXVII 12. δεῦρ' ὑπὸ τὰς πτελέας, ἵν' ἐμᾶς σύριγγος ἀκούσῃς.

Cfr δεῦτε VIII: 50. . . . ὧ σιμαὶ δεῦτ' ἐφ' ὕδωρ ἔριφοι.

Cfr etiam VIII: 49, XIV: 68, XV: 30 ubi notio imperatiui e tota sententia emphasi quadam dicta eruenda esse uidetur.

[3] Cfr *Hiller*, Beiträge zur Textgeschichte der griechischen Bukoliker. (Lpz. 1888), p. 123.

[4] Cfr *Kühner*, Ausführliche Grammatik der griechischen Sprache, II², p. 171; *Goodwin*, l. c., p. 75.

Infinitiui pro imperatiuo adhibiti haec sunt exempla:

V: 121. σκίλλας ἰὼν Γραίας ἀπὸ σάματος αὐτίκα τίλλειν.[1]

X: 48. σῖτον ἀλοιῶντας φεύγειν τὸ μεσαμβρινὸν ὕπνον.[2]

X: 50. ἄρχεσθ' ἀμώοντας ἐγειρομένω κορυδαλλῶ,
καὶ λήγειν εὕδοντος, ἐλινῦσαι δὲ τὸ καῦμα.

XXIV: 72. θάρσει· μελλόντων δὲ τὸ λώιον ἐν φρεσὶ θέσθαι.

XXIV: 91. ἦρι δὲ συλλέξασα κόνιν πυρὸς ἀμφιπόλων τις
ῥιψάτω εὖ μάλα πᾶσαν ὑπὲρ ποταμοῖο φέρουσα
ῥωγάδος ἐκ πέτρας ὑπερούριον, ἄψ δὲ νέεσθαι
ἄστρεπτος· καθαρῷ δὲ πυρώσατε δῶμα θεείῳ
πρᾶτον, ἔπειτα δ' ἅλεσσι μεμιγμένον, ὡς νενόμισται,
θαλλῷ ἐπιρραίνειν ἐστεμμένῳ ἀβλαβὲς ὕδωρ·
Ζηνὶ δ' ἐπιρρέξαι καθυπερτέρῳ ἄρσενα χοῖρον.[3]

Obseruandum est XXIV: 94 ἄστρεπτος nominatiuo dici, quamquam ad tertiam personam referatur.

De futuro pro imperatiuo usurpato uide supra p. 15. Ibidem attuli exempla, ubi interrogatio negatiua futuro formata pro cohortatione adhibetur (XIV: 22, XV: 53). Addere licet hos locos, ubi uerbum auditur:

V: 3. οὐκ ἀπὸ τᾶς κράνας;

V: 102. οὐκ ἀπὸ τᾶς δρυὸς οὗτος ὁ Κώναρος ἅ τε Κίναιθα;

Concessiuam uim imperatiuus habet his locis:

V: 44. uide supra p. 16.

XV: 41. δάκρυ' ὅσσ' ἐθέλεις.

XVI: 64. χαιρέτω ὅς τοιοῦτος.

XXVII: 15. χαιρέτω ἁ Παφία · μόνον ἵλαος Ἄρτεμις εἴη.

XXVII: 18. βαλλέτω ὡς ἐθέλει · πάλιν Ἄρτεμις ἄμμιν ἀρήγει.

Ad similitudinem protasis hypotheticae imperatiuus accedit V: 44, XI: 42.

---

[1] Alia lectio τίλλοις.

[2] Sic legendum esse mihi uidetur. Libri uariant: ἀλοιῶντας et ἀλοιῶντες, φεύγειν et φεύγει, ὕπνον et ὕπνος. Hiller e coni. Hermanni: φεύγοι . . . ὕπνος.

[3] Huc non referendus est locus X: 54, ubi ἕψειν e adiectiuo κάλλιον pendet, nedum XIV: 1, ubi ellipsis in salutandi formulis solita statuenda est.

B. De usu modorum in sententiis secundariis.

I. Sententiae relatiuae.

1. Coniunctiuus.

Omnia exempla antecessiua sunt; in sententia primaria semper tempora praesentia inueniuntur uel audiuntur.

α) Coniunctiuus nudus non adhibetur.

β) Coniunctiuus cum κέν coniunctus:

X: 25. . . . ὧν γάρ χ' ἅψησθε, θεαί, καλὰ πάντα ποιεῖτε.

XII: 32. (in sententia primaria est aoristus gnomicus)
ὅς δέ κε προσμάξῃ γλυκερώτερα χείλεσι χείλη,
βριθόμενος στεφάνοισιν ἐὴν ἐς μητέρ' ἀπῆλθεν.

XVII: 73. . . . Διὶ Κρονίωνι μέλοντι
αἰδοῖοι βασιλῆες · ὁ δ' ἔξοχος, ὅν κε φιλήσῃ
γεινόμενον τὰ πρῶτα.

XXII: 161. τάων εὐμαρὲς ὔμμιν ὀπυίειν ἅς κ' ἐθέλητε.

2. Optatiuus.

Iam ante attuli exempla, ubi in sententiis relatiuis, quae laxius cum sententia primaria cohaerent, optatiui inueniuntur (VII: 100 optatiuus cum κεν iunctus, V: 18, VII: 155 optatiuus uotum exprimens). Sententiae, quae artius cum sententia primaria connexae sunt, omnes subsecutiuae sunt.

α) Optatiuus nudus:

VII: 126. . . . γραία τε παρείη,
ἅτις ἐπιφθύζουσα τὰ μὴ καλὰ νόσφιν ἐρύκοι.
VIII: 13. καὶ τίνα θησεύμεσθ', ὅτις ἁμῖν ἄρκιος εἴη;
XV: 94. μὴ φύη, Μελιτῶδες, ὅς ἁμῶν καρτερὸς εἴη.
XXV: 218. οὐδὲ μὲν ἀνθρώπων τις ἔην ἐπὶ βουσὶ καὶ ἔργοις
φαινόμενος σπορίμοιο δι' αὔλακος, ὅντιν' ἐροίμην.

β) Optatiuus cum κέν coniunctus:

XXII: 64. ἄργυρος ἤ τίς ὁ μισθός, ἐρεῖς, ᾧ κέν σε πίθοιμεν;
XXV: 47. δμώων δή τινα, πρέσβυ, σύ μοι φράσον ἡγεμονεύσας,
. . .
ᾧ κε τὸ μὲν εἴποιμι, τὸ δ' ἐκ φαμένοιο πυθοίμην.
XXV: 60. . . . ἐγὼ δέ τοι ἡγεμονεύσω
αὖλιν ἐφ' ἡμετέρην, ἵνα κεν τέτμοιμεν ἄνακτα.

3. **Indicatiuus.**

Sententias relatius quas uocant puras omitto: supra attuli XXIV: 114, ubi aoristus cum ἄν coniunctus est.

Si eas respicimus, quae artiore nexu cum sententia primaria ligantur, primum animaduertendum est indicatiuum in sententiis antecessiuis pro coniunctiuo cum κέν iuncto de rebus generatim dictis passim adhiberi (uelut VII: 45—48, XII: 34, XXX: 25, al. l.). Tum mentione dignus est locus XXV: 115:

. . . οὐ γάρ κεν ἔφασκέ τις οὐδὲ ἐώλπει
ἀνδρὸς ληίδ' ἑνὸς τόσσην ἔμεν οὐδὲ δέκ' ἄλλων,
οἵτε πολύρρηνες πάντων ἔσαν ἐκ βασιλήων,

ubi post indicatiuum potentialem in sententia relatiua attractione, ut aiunt, imperfectum exstat.

Afferenda denique sunt exempla, ubi in sententiis subsecutiuis futurum eadem notione atque optatiuus usurpatur. Particula potentialis numquam annectitur:

III: 50. . . . ζαλῶ δέ, φίλα γύναι, Ἰασίωνα,
ὅς τοσσῆν' ἐκύρησεν, ὅσ' οὐ πευσεῖσθε βέβαλοι.
XVI: 73. ἔσσετα, οὗτος ἀνήρ, ὅς ἐμεῦ κεχρήσετ' ἀοιδοῦ.
XXII: 68. τίς γάρ, ὅτῳ χεῖρας καὶ ἐμοὺς συνερείσω ἱμάντας;
XXII: 70. ἦ καὶ ἄεθλον ἑτοῖμον, ἐφ' ᾧ δηρισόμεθ' ἄμφω;
XXIII: 43. χῶμα δέ μοι χῶσόν τι, τό μευ κρύψει τὸν ἔρωτα.

XXVIII: 9. [καὶ σὲ] δῶρον Νικιάας εἰς ὀλόχω χέρρας ὀπάσσομεν,
σὺν τᾷ πόλλα μὲν ἔργ' ἐκτελέσεις . . .
XXIX: 13. ποίησαι καλιάν μίαν εἰν ἑνὶ δενδρίῳ,
ὄπᾳ μηδὲν ἀπίξεται ἄγριον ὄρπετον.

Diuersus ab his est locus XVI: 21:

οὗτος ἀοιδῶν λῷστος, ὃς ἐξ ἐμεῦ οἴσεται οὐδέν,

ubi apparet sententiam relatiuam antecessiuam esse. Sed difficile est explicare, cur futurum adhibeatur, ac recte Hiller obseruauit id quod uersu dici deberet, non satis apte expressum esse, quare nescio an uerbum οἴσεται corruptela laboret.

II. Sententiae temporales.

1. Sententiae subsecutiuae.

ὅτε.

Subsecutiuae sunt sententiae post ἔσθ' ὅτε, quae formula in carminibus Theocriteis comparet XXV: 26, sed ibi in speciem aduerbii abiit, ut idem significet atque »interdum».

ὁπότε.

Optatiuus post tempus praeteritum adhibetur in oratione obliqua:

XXV: 227. αὐτὰρ ἐγὼ θάμνοισιν ἄφαρ σκιεροῖσιν ἐκρύφθην
ἐν ῥίῳ ὑλήεντι δεδεγμένος ὁππόθ' ἵκοιτο.

ἡνίκα.

a. Indicatiuus imperfecti:

VII: 1. ἦς χρόνος ἁνίκ' ἐγώ τε καὶ Εὔκριτος ἐς τὸν Ἄλεντα
εἵρπομες ἐκ πόλιος.

b. Indicatiuus futuri:

XXIII: 33. ἥξει καιρὸς ἐκεῖνος, ὁπανίκα καὶ τὺ φιλάσεις,
ἁνίκα τὰν κραδίαν ὀπτεύμενος ἁλμυρὰ κλαύσεις.

ὁπηνίκα.

Indicatiuus futuri:

XXIII: 33, quem locum modo attuli.

XXIV: 84. ἔσται δὴ τοῦτ' ἆμαρ, ὁπηνίκα νεβρὸν ἐν εὐνᾷ
καρχαρόδων σίνεσθαι ἰδὼν λύκος οὐκ ἐθελήσει.

ἔστε.

Coniunctiuus cum κέν coniunctus post praesens uel futurum:

I: 6. . . . χιμάρῳ δὲ καλὸν κρέας, ἔστε κ' ἀμέλξῃς.

V: 22. . . . ἀλλά γέ τοι διαείσομαι, ἔστε κ' ἀπείπῃς.

VI: 32. . . . αὐτὰρ ἐγὼ κλᾳξῶ θύρας, ἔστε κ' ὀμόσσῃ
αὐτά μοι στορεσεῖν καλὰ δέμνια τᾶσδ' ἐπὶ νάσω.

μέχρι.

Indicatiuus in narrando post tempora praeterita:

XXII: 127. αἰεὶ δ'ὀξυτέρῳ πιτύλῳ δηλεῖτο πρόσωπον,
μέχρι συνηλοίησε παρήια.

XXV: 268. πρὸς δ'οὖδας πτέρνῃσι πόδας στερεῶς ἐπίεζον
οὐραίους ἐπιβάς, μηροῖσί τε πλεύρ' ἐφύλασσον,
μέχρι οἱ ἐξετάνυσσα βραχίονας ὀρθὸν ἀείρας
ἄπνευστον, ψυχὴν δὲ πελώριος ἔλλαχεν Ἅιδης.

πρίν.

a. Πρίν cum infinitiuo (aoristi) iungitur

α) post sententiam affirmatiuam:

XXV: 258. . . . πέσεν δ'ὅγε πρὶν ἔμ' ἱκέσθαι.

XXV: 262. τὸν μὲν ἐγὼν ὀδύνῃσι παραφρονέοντα βαρείαις
νωσάμενος, πρὶν αὖτις ὑπότροπον ἀμπνυνθῆναι
αὐχένος ἀρρήκτοιο παρ' ἰνίον ἔφλασα προφθάς.

XXVI: 19. . . . τάχα γνώσῃ πρὶν ἀκοῦσαι.

XXIX: 27. . . . γηραλέοι πέλομες πρὶν ἀποπτύσαι.

β) post sententiam negatiuam:

XXIV: 130. Κάστορι δ'οὔτις ὁμοῖος ἐν ἡμιθέοις πολεμιστής
ἄλλος ἔην πρὶν γῆρας ἀποτρῖψαι νεότητα.

XXV: 221. οὐ μὴν πρὶν πόδας ἔσχον ὄρος ταυύφυλλον ἐρευνῶν,
πρὶν ἰδέειν ἀλκῆς τε παραυτίκα πειρηθῆναι.

b. Πρὶν ἤ iungitur

α) cum coniunctiuo post sententiam negatiuam:

I: 49. . . . ἁ δ' [ἀλώπηξ] ἐπὶ πήρᾳ
πάντα δόλον κεύθοισα τὸ παιδίον οὐ πρὶν ἀνησεῖν
φατὶ πρὶν ἢ ἀκρατισμὸν ἐπὶ ξηροῖσι καθίξῃ.

β) cum infinitiuo aoristi post sententiam affirmatiuum. (Contextus uerborum tamen notionem prohibitiuam inuoluit.)

V: 147. οὗτος ὁ Λευκίτας ὁ κορυπτίλος, εἴ τιν' ὀχευσεῖς
τᾶν αἰγῶν, φλασσῶ τυ, πρὶν ἤ γέ με καλλιερῆσαι.

πάρος.

Cum infinitiuo aoristi iungitur post sententiam affirmatiuam:

XXII: 189. ἀλλ' ἤτοι τὰ μὲν ἄκρα πάρος τινὰ δηλήσασθαι
δοῦρ' ἐάγη.

XXV: 214. πάντῃ δ' ὄσσε φέρων ὀλοὸν τέρας ἐσκοπίαζον,
εἴ μιν ἐσαθρήσαιμι πάρος τί με κεῖνον ἰδέσθαι.

πάροιθε.

